

*tatu Adalberti Marchionis & intra geminas fluminum Sabinichi & Darbinichi ripas sito, ea videlicet conditione, ut nemo absque licentia & voluntate præfati Episcopi, successorumque suorum infra prædictos ejusdem foresti terminos, Banni conclusionem vetitos, præsumat venari, aut aliquod genus ferarum, quod in forestarum jure Banni interdicitur lege, qualibet venatoria industria capere vel decipere &c. Quorum si opus esset plura allegari possent documenta. Sufficiunt vero adducta, cum probandum satis superque probent.*

§. II.

*Venatio jus prædiorum Nobilium non est, sed in medio ævo à concessione Imperatoris dependebat. Pone enim contrarium. Imperatores sane sylvas tantæ in Territoriis magnitudinis bannis afficiendo (§. I.), Jura Nobilibus quæsitæ abstulissent. Quare cum Jus quæsitum nemini ne quidem ab Imperatore auferendum sit; venationem Jus prædiorum Nobilium fuisse, à vero prorsus abhorret.*

Jam vero aut venatio jus prædiorum erat, aut à concessione Imperatoris eo ævo dependebat. Prius igitur cum profligatum sit; posterius omnino affirmandum est.

*Scholion. Sed objicit Celeb. Dn STRUBE §. VIII. C. I. minime semper Reges pro arbitrio foresta instituisse, sed sæpe civium consensu habuisse opus. Enim vero hoc ipso concedit, aliquando Reges pro arbitrio foresta instituisse non adhibito civium consensu, imo id in dubium vocari non posse, expresse §. X. asserit. Si vero jus venandi prædiorum jus esset, quomodo id sine damno civium fieri potuisset? At regerit publicæ utilitatis causa id fieri potuisse: fundabantur nimirum ait, Monasteria*

A 3

*& Episco-*